QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIGESIMA MENSIS FEBRVARII.
M. CLAVDIO CHRISTIANO Doctore Medico Moderatore.

An mores à Semine? 762



N moribus natura ducit, regit doctrina, exercitatio hanc & illam confirmat ac etiam superat: ἦθος quasi ἔθος, assuetudo scilicet turpis aut honesta: ea si indolem sequitur, habitus penè naturalis est, aliàs difficile contrahendus, vsque recurrente naturâ, quę dissimulari quidem potest, vix mutari. Nescio an Socrates ipse *placito semper pugnarit amori*. Voluntas licet domina & libera, haud tamen satis firma, vt plurimùm cedit inclinanti non cœlo aut solo, sed temperamento: *Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec auras respiciunt animæ tenebris & carcere clausæ*. Vt quælibet alia facultas organica, sic appetitus sensitiuus, quo rationalis trahitur cæteroquin separabilis, pro diuersa subiecti proprij (quod vnicum est) sanguinis spirituumque conditione, diuersimodè mouetur & mouet, cogit, impellit: vnde alia alijs pathemata, quæ vel in sapientem cadunt; nemini omnia, nemini nulla.



X corporis temperatura, quâ solâ cum conformatione animorum varietas efficitur, si iusta sit, nascitur morum temperantia: alioquin calidi præcipites, audaces, ὀργίλοι, in amore & odio inconstantes: frigidi πικροί, segnes, timidi: humidi pigri, socordes, minimè mali: sicci propositi tenaces, auari, inuidi, χαλεποί. Inæqualis sibique minimè respondens partium principum temperaturæ excessus, inæquales inducit mores, compositus duplices. Semper timiditas inueterata calliditatem habet adiunctam. Rufi vt temperamento, sic & moribus inter extrema ambigunt; si mali, nunquam mediocriter, præsertim cum acuto naso & paruis oculis: quamquam hîc non tantùm conformationi tribuimus, quantùm temperiei, imprimis cordis, cuius εὐκρασία viros facit cordatos. Ex pulsu animorum tumultus deprehenduntur, qui corpus vicissim feriunt: neque hunc in amore frustrà explorabis, si proprium non quæris.



EMPERAMENTVM natiuum, omnium animæ facultatum primarium instrumentum, quod an ab humoribus denomines, an ab elementis nihil vetat, à primis generationis principijs ortum ducit, præsertim γονίμω vtriusque parentis semine, singularum partium nedum ideam sed & temperiem referente, quamuis in fœminis aliquando masculeo, in viris fœmineo. Vix fero excrementum dici hoc corporis & animæ symbolum, in plantis viuens, in animalibus vitæ proximum. Latet in eo vis tantò mirabilior, quantò ignotior: vt primùm excitatur, animatur: & nisi motus soluatur, prolem generanti similem, non minùs in moribus quàm in vultu effingit. Sexum temperies, speciem materia definit; vtrinque mores, qui subinde cum temperamento per ætates mutantur.



ON abs re Gallis nomen humoris ad mores transfertur, quorum consensus tantus est, vt vnà componi debeant & temperari. Biliosorum celeres tùm corporis tùm animi motus compesces, si bili frænum inijcias: melancholicos exhilarabis, si crassam atramq; bilem vino diluas & illustres: pituitosis calcar & animos addes, si φλέγμα φλέγῃς: sanguineos continebis omnium moderatione; iisdemq; ἐρωτικοῖς εὐθυμίαν conciliabis hypnoticorũ vsu & lactucarum esu, inter quas Venus extinctum deposuit Adonim: contrà erucâ tardos excitabis, satyrio accendes, vnde satyriasis dicta, viraginibus frequentior ipsis viris salacioribus, quanquam minùs proletarijs; vt & hominibus melancholicis priapismus. Natura tamen quibusuis poculis potior est, modò mentem Venus ipsa dederit, sine qua plerumque fallit φαλλός, & volentem deserit pars maximè phantastica: hæc quippe Philosophiæ naturalis pars, quæ in actione consistit, præ cæteris totum hominem requirit, ne fiat indigna parente proles: hinc pudendi natales nonnumquam heroës proferunt, quorum rursus filij vera metempsycosi auis simillimi. Non satorem, sed sementem inspice, vt de fruge iudices: *Naturæ sequitur semina quisque suæ*.



EMO seipsum fugit: *cœlum non animum mutat, qui trans mare currit*. Sola prudentia istam inuehit metamorphosim, & pronã in peius corporis contagione voluntatem, intra rationis limites continet: iustâ corporis temperie non parùm adiuuatur, quam si desideras, felicissimè ἐπίκρασις emendabit: sic aliquando cura & studium afferet, quod natura videbatur negare. Neque verò æqualis est temperamenti vis in singulas animi affectiones; potentissima, in quibus humanum est peccare; minor in alijs, in quibus si ratio non vincit, vtique pessima est. Hinc & inde virtutis seges est & materia, absque quâ illa nulla foret. Satis sit medico physiognomo ex temperie naturæ propensionem æstimasse, ad quam mores ferè sequuntur: nihil præterea de euentu coniectandum recipit. Nugantur qui omnes hominum fortunas & casus præsentire se profitentur, vel tralatitiâ manus atque vultus inspectione. Omnino præstat principia generationis, præcipuè efficientia, diligenter attendere, ex quorum energia & complexione, tutò possis hominum ingenia atque mores colligere.

Ergo mores à semine. 208

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS RENOVARD Lexouęus A. R. S. H. M. DC. XXXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Georgius Ioudouyn.
M. Hugo Chasles.
M. Nicolaus Heliot.

M. Ioannes Vacherot. P. R.
M. Claudius Seguyn.
M. Ioannes Baptista Ferrand.

M. Henricus Blacuod. P. R.
M. Gabriel Biart.
M. Ioannes Desgoris. M. R.

